

Die Urkunden Ludwigs des Jüngeren, 3

(C.) In nomine sanctae et individuae trinitatis. Hludouuicus divina favente gratia rex. Si liberalitatis nostrae munere locis deo dicatis quiddam conferimus et necessitates nostro sublevamus iuvamine atque regali tuemur munitione, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam et ad aeternam feliciter optinendam profuturum liquido credimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam et futurorum industria, qualiter Brûn et Otto nostri fideles comites in procerum nostrorum praesentia tradiderunt nobis quoddam monasterium quod dicitur Gandesheim, quod Liutolf genitor eorum inprimis aedificare coepit et reliquias sanctorum Christi confessorum Innocentii atque Anastasii ob honorem Christi illuc venire fecit, quod est constructum in honore sancti Stephani protomartyris Christi, et omnia, quae ad idem monasterium iure ac legitime pertinere videntur, et cui Gerbirg soror eorundem comitum sanctimonialibus feminis praeesse videtur, eo videlicet rationis tenore ut praefatum monasterium regio sublevaretur munimine et sanctimoniales feminae ibidem deo famulantes in nostro consistenter patrocinio; et quamdiu in illorum progenie aliqua sanctimonialis femina, quam vitae religio et sanctorum scripturarum instructio et omnium bonorum morum commendet compositio, absque ullius personae contradictione sanctimonialibus feminis esset praelata, et si aliter, quod absit, eveniret, quod talis in illa progenie inventa non esset, quae praefatis scilicet virtutibus non ornata videretur, caeterae sanctimoniales feminae dignam dei servitio quamcumque vellent eligere inter illas potestatem haberent. Unde per hoc nostrae auctoritatis praeceptum decernimus atque iubemus, ut praefati monasterii sanctimoniales feminae desideratam a nobis munitatem et electionem nullo inquietante, sed nostra auctoritate eas protegente per cuncta saeculorum curricula firmam et inviabilem teneant, et nullus comes vel alius quilibet exactor iudiciariam potestatem vel freda exigenda seu mansiones vel paratas faciendas in eodem monasterio nisi ex consensu et petitione eiusdem monasterii abbatissae habere praesumat et homines illius abbatissae, sive liberi [sint] seu servi, nulla iudiciaria coerceantur potestate, sed in praesentia eiusdem abbatissae advocati et eorum rectitudinem adquirant et caeterorum perficiant. Et ut haec auctoritas nostrae concessionis et confirmationis firmior habeatur et per futura tempora a fidelibus nostris melius observetur veriusque credatur, manu propria nostra subter eam firmavimus et anuli nostri impressione sigillari iussimus.

Signum Hludouuici (MF.) serenissimi regis.

Uuolfherius cancellarius advicem Liutberti archicapellani recognovi et (SR. NN.) (SI.)

Data VII kal. febr. indictione X, anno incarnationis DCCCLXXVII, anno primo Hludouuici serenissimi regis in orientali Francia regnantis; actum Franconofurt; in dei nomine feliciter amen.